



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De eo quòd quidam in conuersione sua ordines sacros celantes, propter  
humilitatem Conuersi fiant, cap. 39.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

*Celatus  
ordo sa-  
cer.*

**T**ANTA est virtus humilitatis, vt eius amore sæpe ad ordinem venientes clerici laicos se simulauerint, malentes pecora pascere, quàm libros legere, satius ducentes in humilitate Deo seruire, quàm propter sacros ordines, vel litteraturã, ceteris præesse. Hoc quia sapius in ordine cõrigit, ita vt de Cõuersis fierent monachi, ante hos quatuor annos definitũ est in capitulo generali, vt tali modo conuersi manerent inter Cõuersos. Eodẽ anno quidã veniẽs, vt puto Diaconus, laicum se simulans, in Cõuersum susceptus est; cuius Abbas cùm postea, nescio quo prodente ordines intellexisset, in sequenti capitulo casum eundem proposuit; & quia viris discretis videbatur omnino absurdũ, vt quis in tã sublimi ordine positus foret sine caractere coronæ, & sine sacrorum ordinũ executione, sententiam mutauerunt. **APOLLONIVS:** Nõ miror si aliqui celant suos ordines in conuersione, cùm legamus priscis temporibus feminas, vt fuit beata Eugenia, & sancta Eufrosina, atque beata Marina, sexum virilem simulasse, **CÆSARIUS:** Quid hoc miraris factum temporibus priscis, cùm recentiori tẽpore simile in ordine nostro contigisse sciamus? **APOLLONIVS:** Hoc omnibus modis scire desidero, videlicet à qua persona, vbi, vel quomodo tam mirabilis facta sit conuersio. **CÆSARIUS:** Femina, de qua dicturus sum, quæ fuerit, vel quomodo ad ordinem venerit, seu quomodo in ordine fuerit, vel consummauerit, sicut nobis retulit monachus quidam, qui cũ ea nouitius fuerat in probatione, fida tibi pandam relatione.

## CAPVT XL.

*Sexus dis-  
simula-  
tus.*

**I**N ciuitate Nussia, quæ quinque miliaribus distat à Colonia ciuitate magna, ciuis quidã habitauit, filiam habens formosam ac dilectam, nomine Hildegundem; quam vxore defuncta, cùm adhuc esset in ætate tenera, orationis gratia secũ Ierosolymã duxit. In reditu verò infirmatus pater, apud Tyrum, diem clausit extremum. Moriens autem filiã, & omnia quæ habuit, ministri sui fidei commendauit; sed fidem non

seruans